

Nobilissime Amplissime & Prudentissime Domine,

K137

A Viris quibusdam Eruditis, qui libellum meum Physicum, hactenus latentem, in lucem protulerunt, in maxima periculum videor coniectus. Quamvis enim nihil criminosi habeat: continet tamen multa, quae a vulgaribus quorundam opinionibus non nihil recedentia, illum forsan iniquis nonnullorum calumnijs, nisi magno Patrono ab ijs vindicetur, obnoxium facient. Consultissimum itaq; duxi, ad Principem Auriacum, communis Patria & Libertatis non tantum publicae, sed etiam privatae, summum defensorem, confugere, eiq; libellum consecrare, atq; ita tutelarem eius opem implorare. Ad ipsum saepe etiam magnorum delictorum rei confugiunt, quibus, pro sua clementia veniam eorum interdum faciens, tutelam suam non de- negat. Ego nullius criminis, sed solius animi alios invadendi cupidi mihi conscius, patrociniū eius non despero. Hanc spem in me auget Reverendus & Amicissimus Doctor Johnsonus, qui me certiore esse voluit, si ad tuum auxilium confugiam, te pro benevolentia, qua omnes veritatis ulterius investiganda Studiosos complecti soles, non gravaturum Celsissimo Principi literarium nostrum munusculum offerre. Cum itaq; Academia, familia, & pericula non patiantur, ut iter ad Principem in castra instituum; & res non ferat ut reditum eius in Aulam expectem, obnixi etiam atq; etiam rogo, ut libellum nostrum Principi offerre, eumq; illi commendare, ac patrociniū eius adversus Livorem meo nomine ipsum rogare digneris. Hoc si feceris, non dubito quin Clementissimus Princeps hoc tuis precibus sit indulturus, mihiq; necessitatem impositurus, ut tibi Vir Nobilissime maximam mea securitatis partem in aeternum debens, perpetuo maneam

Nobilissima & Prudentissima Tuae Amplitudinis.

Cultor observantissimus

Henricus Regius

Ex tribus additis Exemplaribus unum Celsissimo Principi Auriaco, alterum Celsissimo eius Filio Principi Wilhelmo, tertium Vestrae Nobiliss. Amplitudini destinavi: eaq; ut benigna manu accipiantur omnibus votis rogo. Vtraiecti vobis kalendis septembris Anno 1646 Stylo Gregoriano

Syngentiae d. 1. 1646.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

K137

Nobilissimo Amplissimo Prudentissimoq;  
Viro Domino,

Dño Constantino Auigens,  
Zuilichemij & Domino, &  
Cellissimo Principi Auriaco  
a Consilij & Secretis.

